



*Suslow Panzer,
2. 11. 1890.*

DISPUTATIO ¹⁶⁴⁸

30

LOGICA

exhibens

QVÆSTIONES

non nullas miscellaneas,

QUAS

DEO T. O. T. M. adjuvante,

NEC NON

Amplissimâ Facultate Philosophicâ
approbante,

IN FLORENTISSIMA ALBERTINA,

publicæ ventilationi subijciunt

M. PETRUS GARPIVS

Itzehoâ Holsatus PRÆSES,

ET

PETRUS Winter Lübecensis.

RESPONDENS.

In Auditorio Philosophico, ad diem
Februarij, horis matut.

REGIOMONTI

Typis Paschalis Mensenij Anno 1648.



Joh. h. v. a. h.

9

Viro
Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo &
Prudentissimo
Dn. ANTONIO CÖLERO I. V. D. &
Inclatæ Reipublicæ Lübecensis Consuli Gravissimo.

Nec non

Viris

Reverendis Clarissimis Doctissimis Humanissimis
Dn. M. GERHARDO WINTERO,
Templi Iacobini

apud Lübecenses Pastori meritissimo.

Dn. ABRAHAMO LEOPOLDI,
ejusdem Templi
symmistæ Vigilantissimo.

Dn. Patrono, Parenti, promotoribus & Fautoribus suis
æternum colendis

Primitias hæc Academicas

In

Certissimam perpetui honoris tesseram
Sempiternum fialis observantia signum
debitam grati animi declarationem
suiq. & suorum studiorum commendationem

submisit

Dat

Dicat

Consecrat

PETRVS WJSEK *Lübecensis*

IN NOMINE TOY ΛΟΓΟΥ

Quæstionum Logicarum

PRIMA

An Logica sit pars Philosophiæ?

S Impliciter & absq; distinctione quæsitum hoc nec affirmari potest nec negari. vox Philosophiæ etenim! diversimodè admodum accipitur, & primò quidem, pro quavis doctrina vel arte ut quando Fl. Josephus l. 7. cap. 2. de bello Jud. & l. 18 Antiq. c. i. tres Judæorum sectas celebriores, ut & quartam nescio cujus Judæ, totidem Philosophias nūcupat; quando nugæ Titiz & Séproniz Philosophia colus indigitantur; quando Lucianus Timonem suum ligone Philosophaturum introducit & c. & hac ratione nil impedit quò minùs & Logica sit vel ex præcipuis partibus Philosophiæ.

S. 2. Dein sumitur (2) vox Philosophiæ, à Platone, Academicis, stoicis, (videatur D. Laetius) Ramo, Ramis & plerisq; Mixtis, aliquantulum strictius, pro qualibet scilicet scientiâ, ingenio ingenio digna, vel pro universis habitibus liberalibus intellectum & voluntatem Hominis quovis modo perficientibus, & in hac acceptione tribuitur hodiernum Philosophiæ Magistris Doctoribus & Professoribus: nec tum Logica ulla ratione ex partium Philosophicarum censu excludi potest.

S. 3. Si quando autem (3) vox Philosophiæ accipitur, cum Peripateticis, tantum modò pro disciplinis ceu vocantur realibus, negari non dedit nec potest: Logicam tum partem Philosophiæ non esse.

S. 4. Reliquas hujus vocis acceptiones brevitatis studio prætermittimus, & ex præcedentibus concludimus: Logica igitur absq; contradictione (ægi ægum. c. 9) dici poterit esse & non esse pars Philosophiæ.

QUÆSTIO SECUNDA

An vox Spiritus vel Essentia Deo T. O. M.
attribui possit ut Genus Logicum?

§. 5. Defendunt prius nonnulli ex Joh. cap: 4. v. 24. & 2. Cor. 3. v. 17. utur autem Spiritum de Deo dici non negamus: pro genere ejusdem Logico illud tamen recipere nefas ducimus. Genus siquidem omnibus suis Speciebus ex æquo commune est, Porphyrius in Isag. c. 3. & 8. Genus Speciebus suis naturâ prius est, Aristot. in post. prædic. c. 3. & Porphyrius l. c. Genus ad Species suas constituendas tanquam materia, cum differentiâ tanquâ formâ, necessariò concurrat, Porph. ibidē c. 7. Quæ omnia, & quæcunq; sunt præterea, huic voci SPIRITUS, respectu Dei planè repugnant: Conceptus tamē Generi analogus & proportionatus audire poterit, vide Armandum de bello visu in explic. terminorum tract. 3. c. 8.

§. 6. Eadem quoq; ratio est postertoris vocis ESSENTIÆ. Quantumvis enim Deus sub tali vel simili conceptu communi à nobis concipiatur: inde tamen nondum sequitur, talem conceptum esse Dei Genus Logicum. Prolixè hoc per tractatū invenies apud R. Goclenium, part. i. Controversiarum cap. 24. qu. 3. quem vide, si placet. Quid quod Anit. Manl. Torq. Severinus Boëtius *ἁπλοῦς* definiat: compositum ex materia & forma, Armandus de B. V. tract. 2. c. 43.

QUÆSTIO TERTIA

An Animal igitur de Deo dici possit?

§. 7. Afferunt hoc quidem Porphyrius in Isagoge c. 3. Zeno Citricus, apud Laertium lib. 7. Epicurus, apud eundem l. 10. Vellejus apud M. T. C. l. i. de Nat. Deorum & ex Neotericis H. Cardanus in Subtilitatibus. Verum, si *Animal*, definiente Porphyrio, l. c. est *ἁπλοῦς ἐμψυχὸς ἀσώματος* & censente Philosopho l. i. de part. Animal. c. i. *Animal non est sine corpore & anima*, utiq; Sole Meridiano, nobis quidem, *clarius est, Deum nec esse nec dici posse Animal*. De quo enim definitio negatur, de eo jure negatur, & definitum l. 6. Top. c. i. & seqq. conferri quoq; potest. J. C. Scal. Exercit. contra Card. CC. l. V.

S. 8. Assumptionem stabilio hoc modo: Deus, actus ille purissimus, simplicissimus *θεός* (1) *ἐμψυχός* essentia constans Corpore & anima neutiquam est, ut satis patet. Dein (2) nec *θεός* *αισθητική* dici potest, cum juxta Arist. l. 12. Metaph. c. 7. Deus sit *θεός* *καχωρισμένην τῶν αισθητῶν*.

S. 9. Quod autem Philosophus ibidem quoque eadem voce *θεός* de Deo utitur, aut vitium Typographicum est in accentu, ita, ut *θεός* positum sit pro *θεῶν*; aut ex sententia vulgi, more ipsi consueto, loquutus est; aut alium saltem de Animalis conceptum in mente habuit.

QUÆSTIO QUARTA

An sit perfecta Hominis definitio: ANIMAL RATIONALE?

S. 10. Facto ipso negant hoc Porphyrius in isagoge & ipse Aristoteles passim, & proinde in complementum super addunt MORTALE, propter Deum vel Deos videlicet & Angelos. Sed cum in præcedentia quæstione jam evicerimus, nec Deo competere Genus ANIMAL, nec ut jam dicemus, Angelis; sufficit utique hæc differentia specifica (RATIONALE) Homini. Namque ita ex l. 6. Top. c. 1. & 2. argumentamur: *quicquid ultra id quod rei definitæ naturam sufficienter explicat, in definitione adjicitur illud omne supervacaneum est & omittendum.* Atque hæc vox MORTALIS ultra id, quod rei definitæ. &c. Ergo est supervacanea & omittenda.

S. 11. Porro hæc vox Mortalis est Homini tantum accidentalis. Quem admodum enim tempus quondam, quo illo titulo appellari non poterat, sic & propediem, vel ante magnum illum annum Platonicum, idem redibit. Definitionis probæ differentia ex essentialibus tantum constare debet. Hæc enim sunt verba Philosophi l. 6. Top. c. 3. *considerandum etiam est num differentia rei definitæ ex accidentibus forsitan tantum competat. Ut enim nullam genus, sic nec differentia ulla ex his desumi potest, quæ solum ex eventu rei alicui competunt: cum sit contra naturam differentia alicui convenire & non convenire posse.*

QUESTIO QUINTA

An hæc definitio bestie vel bruti: **ANIMAL
IRRATIONALE**, sit probæ monetæ?

§. 12. Negativam hinc amplecti nihil veremur. *Proba enim definitio explicare tenetur rei definitæ essentiam*, l. 2. poster anal. c. 10. Top. l. 1. c. 4. & l. 6. c. 1. 2. 3. Ast hæc definitio nihil minus quam essentiam rei explicat. Remover enim à bestiis & denegat iisdem tantum modo rationem. Negatio autem, quid, quæso, dicit, nisi nō ens? Non ens autem enti contradistinctur: qui igitur posset ex primere rei alicujus essentiam. vel sic: irrationale nihil aliud dicit quā ratione carēs. Carēs a ratione tantum abest, ut, qualis sit hujus vel illius rei essentia declarare aptum natū sit, ut potius, qualis nō sit, expressē dicat.

§. 13. Iterum: *Omnis differentia in dōxiōis positivæ aliquid subinfert*: hec vero positivæ nihil omnino: Differentiæ probæ nomine ergo planè indigna est. Definitio verò, cujus differentiæ vitiosa, Jure meritoq; rejicitur, ex Top. lib. 6. cap. 2.

QUESTIO SEXTA

An Deus, Angeli & Animæ sint in aliquo prædicamento?

§. 14. Qui Deum Prædicamentorum cancellis includunt, ad Substantiam eum referunt. At substantia prædicamentalis dicit jam quippiam compositum, saltem, ut loquuntur, exactu & potētī, esse & essentiā, teste Armādo de bello visu tract. 2. cap. 41. Deus autem simplicissime simplex est, idem ibidem c. 20. & Scaliger Exerc. exoter. 6. s. 2. Autoritatis tam Patrū Ecclesiæ quam Philosophorum integram licet messem metere apud Clar. Scheiblerum in introd. Log. cap. 2. q. 3. art. 2.

§. 43. Rationum idem, ibidem, §. vel num. 44. 45. & seqq. sufficiens numerus.

§. 15. Angelos quod attinet, eos salvā Veritate in substantiæ prædicamento collocari posse asseveramus: tamen *Genus
proximi*

proximè Animal (quicquid etiã videatur *Porphyrio in Isag. c. 7.*)
illis ònino denegamus quia certo certius est, illos & corpo-
ribus destitutos esse & animabus.

S. 16. Animas deniq; ceu entia in completa, non nisi re-
ductivè ad substantiam revocari posse arbitramur. Cum tantũ
sint pars Animalis. & partes per se, omnium saniorum Philo-
sophorum consensu, in nullo planè sint Prædicamento.

QUESTIO SEPTIMA

An Accidentia existere possint sine subjecto in hæsiõis?

S. 17. Affirmat id *Phil. Du Trien Dial. tract. i. part 3. c. 2. art. i.*
toridem verbis, & propterea substantiæ definitione, *Ens per*
se subsistens ita limitat: illud dicitur per se subsistere, quod ad suã
naturalem existentiam non requirit subjectum in hæsiõis. Hinc
pag. eãdem 55. quæst. i. addit: *quia supernaturaliter accidens*
potest existere sine subjecto in hæsiõis; ut re ipsa existit in venerabilis
Sacramento Eucharistia, ubi accidentia panis remanent sine pane
vel alio subjecto: sed, ut dixi, hoc fit supernaturaliter. Sed merito
exploditur à Philosophis pariter & Theologis hocce figmẽtũ
Pontificiũ, cum accidens sine subjecto in hæsiõis in rerum
natura existens sit contradictio in adjecto. Exemplum vero
quod illustrandi & insimul probandi ergo affert, petit prin-
cipium, ut pote æquẽ incertum.

S. 18. Quod deniq; ad sacram illam anchoram SUPERNA-
TURALITER confugit, perditæ causæ parum ad modum vel
nihil potius patrocinator. Duo siquidem ad actionem talem
requiruntur, potestas nimirum & volũtas. Jam vero tametsi
Deus, omnia quæ vult, possit: non tamẽ omnia, quæ potest,
vult. Et proinde à posse ad esse vel velle N. V. C. Probandum
igitur restat, concessio quod Deus id possit, eundem id velle.
Nobis certum est, Deum id ne quidem velle posse, quod contradicti-
onem tam manifestam in voluit. Namq; veriores sunt vulgati
illi verticuli.

Quod

*Quod verum est nunquam facit omnipotentia falsum,
Nec diversa probans secum Sapientia pugnat,
Ut quod sit, non sit, quod non sit, idem simul ut sit:
Nec quia cuncta potest, Deus omnia velle putandus,
Quid velit & possit, tibi norma sit unica Verbum)*

quàm si ex Delphico Tripode pronūciati essent. Accuratiorē
voluntatis Dei evolutionem ex professo - Theologis come
mittimus.

QUÆSTIO OCTAVA

*An ex mente Aristotelis Topica cum Elenchis Sophi
sticis ante ponenda sint, in Logicis, libro
de interpretatione & Analyticis?*

§ 19 Sic statuit ex scētia, ut fateatur, Piccarti, & re ipsa implet
in Epitome Dialectices suæ Joh. C. Danhawerus, confusus po
tissimum hoc Argumento:

Omnis liber citatus est prior citante:

Liber Topicus est citatus ab Analyticis

E. Liber Topicus est prior Analytico citante.

Vide ejusdem (2) paginam ultimam præfationis Dialecticæ (3)
ideam boni Interpretis p. 77. (γ) ideam boni Disputatoris,
pag 87. 88 De Majoris propositionis veritate ne quidem sub
dubitatur: Minorem verò probata mdat, ex l. 2. priorum Anal.
cap. 19 ὡς περὶ τῶν ἰσχυρῶν ἐπισημαί, ubi tamen legitur:
ὅτι περὶ ἐπισημαί καὶ ἐπισημαί ἰσχυρῶν.

§. 20 Sed regero: videtur quidem Major quantivis pretii,
& primâ fronte egregiè mentitur propositionem! universalē:
simul ac autem penitus introspexeris, statim patescit ipsius
particularitas, & consequenter conclusionis nullitas. *Princi
pio autē provoco ad usū Dd. quotidianum, si quâdo enim di
sputationes nonnullis, vel alios quosdam tractatus sub inde
in lucem edant, & quando iterum prælo committendi sunt,
REVIDENT; none tum in libellis tempore & naturâ prioribus
sæpe numero ita loquuntur: vide hanc vel illam disputationē
tractat*

tractatum meum &c. plura hujus generis cōgeffi in libro hoc
vel illo; fusius hac de re egi ibi, istic, illic; hoc ex professo de-
monstravi alibi; si placet poteris super hac controversia con-
sulere discursum meum sat prolixum hīc vel alibi imprēssū,
& quæ sunt similia publica verba. Impraesertim duos tantū
laudabo testes. *J.H. Alstedias* in postrema Admirandorum su-
orum Mathematicorum editione decies ferè citat Encyclo-
pædian suam quam tamen plusquam decennio post Admi-
randorum illorū primam publicationem demum conscrip-
sit. Sic accuratissimus & subtilissimus *Scaliger* allegat Exerci-
tatione Exoterica LXXVI dist 3. Exercitationem ejusdem lib.
CCCLIX, hisce verbis: hoc, suo loco, in fine harum Exercitati-
onum declaratum est; indēne, quæso, quispiam sanæ mentis
concludere poterit: Ergo Exercitatio CCCLIX citatā prior
est LXXVI citante. Non sufficit igitur ad temporis præroga-
tivam qualiscunq; facta allegatio.

§. 21 Sed non opus pluribus *Altorum Exemplis*, ipsemet suo ju-
gulandus est gladio. Dum enim secundam boni Disputatoris
editionem revidet, à mendis repurgat, indice adauget, hæc
verba quin adjiceret, propriāq; eatenus vineta cæderet, manū
cohibere non valuit. *de quibus fusius in bono interprete p. 214.*
Atqui hunc, ut ex dedicationibus constat, post bonum Di-
sputatorem demum edidit. Proinde ex ipsius verbis ita argu-
mentor: *Omnis liber citatus est prior citante, Bonus interpretis est
citatus à bono Disputatore, Ergo bonus hic interpretis est prior bono
Disputatore.* Conclusio est falsa ut patet ex modo dictis, ergo
aut Major aut Minor necessario quoq; falsa erit, quia ex veris
nihil nisi verum sequitur: At Minor est in dubiæ veritatis ex
loco allegato; Major igitur necessario erit falsa. Et sic obtinui
quod intendebam.

§. 22. Secundo profero locum ex Aristotele, ubi in libro de
interpretatione cap. 12. pag. m. 57. f. videm isdemq;
verbis lectorem remittit ad Analytica: ὡς περ ἐν τοῖς
ἀναλυτικῶν ἀγρῶν Quem admodum igitur, ex illo
B CA

ex illo loco non licet, nec ausus est ipse DanhaWerus librum
hunc de interpretatione postponere Analyticis: ita nec ex
illo licebit Topica cum Sophisticis præponere interpretationi
& Analyfi. Πάντα γὰρ ὁμοίως ὑπάρχει τὰ αὐτὰ τοῖς ὁμοίοις,
l. 1. de Generat & corrupt cap. 7. c. 46. item l. 2, Top. c. 4.
S. 23 Tertiò ut omne dubium, si quod superest, tollatur,
cito ipsissima Aristotelis verba, quæ habentur l. i, Sophist
Elenchorum c. 2. περί μὲν διδασκαλικῶν καὶ ἀποδεικτικῶν ἐν τοῖς
ἀναλυτικοῖς εἶρηται. Περὶ δὲ τῶν διαλεκτικῶν καὶ πειρατικῶν, ἐν τοῖς
πρωτοῦρον. περὶ δὲ τῶν ἀγωνιστικῶν καὶ ἐριστικῶν, οὐκ λέγωμεν. Præponit
itaq; ipse Aristoteles Analytica sua Topicis, Topica Sophisti-
cis Elenchis quod erat demonstrandum.

QUESTIO NONA

An simpliciter vera sit hæc Enunciatio: CHIMÆRA
est Ens rationis tantum sive non-Ens

S. 24. Logici, producturi exemplum non-entis, nullo ferè
frequentius utuntur, quam hoc ipso Chimæra. Hinc non in-
juriâ quæritur, num itaq; sic simpliciter & purum putum Ens
rationis sive non-ens Nos pro parte negativa ita concludim;
quicquid in rerum natura verè existit, non est non ens. Minorem, qui
κρυπόμενον continet, probamus ex Servio super illud P. V.
Maronis l. 6. *Æneid flammisq; armata Chimæra; Reverà inquit
Chimæra mons est Lyciæ cujus hodie ardet cacumen, juxta quod
sunt Leones, media autem pascua sunt: ima verò montis Serpentibus
plena & Phil. Clu Verius Geographiæ l. 4. cap. 19. Montium ce-
lebratissimus (in Lyciæ) Chimæra; unde fabula triformis monstri in
vulgum data est, quod Chimæram animal putaverunt.* Hinc Ovi-
dii: quoq; Chimæra jugo mediis in partibus hircum, pectus
& ora leæ, caudam serpentis habebat. *in Cacumine quippe Leo-
nes habitabant, in medio ubi pascuis abundat, capra, in radicibus Dra-
cones.* Eadem quoq; & plura præterea affert ad eundem locum
Nelsonis, qui habetur l. 9. Metamorph. fab. 12. G. Sabinus.
Pro-

Professor quondam hujus Academiae celeberrimus, & Cl.
Natalis Comes l. 9. Mythologiae, cap. 4.

§. 25. Quapropter, quando pro monstro aliquo Anima-
li (προσθε λέων, ὅπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Hesiodus in theogonia, & ex illo Homerus lib. 7. iliados) acce-
ptatur fictitium quid, & ens rationis sive nō ens merito audit
simpliciter verò non ens nec est nec dici potest, cum ceu mōs
tam famigerabilis verum corpus Physicum constituat. Taceo
quod ex locis ex Hesiodo Homeroq; antea citatis, ut & non-
nullis aliis, ex Aristotelis libris Animal. Plutarchi itidem Ly-
curgo &c. evincat Gaza: χίμαιραν Græcis proprie si-
gnificare capellam, unde Pan Poëtis dictus χίμαιροβάτης,
Hadrianus Junius in lexico Græco sub lit. X.

QUÆSTIO DECIMA

An in Secundâ Figurâ liceat aliquando concludere ex
puris affirmativis, & in Primâ ex Minore negante?

§. 26. Suscepit sententiæ hujus patrocinium For. Crellius in isa-
goge Logicâ hisce verbis: 2. Prior c. 22. cum medius terminus & major
& minori toto in est, & de alio nullo dicitur, in est autem & majus extre-
mum minori, necesse est, medium & majus extremum reciprocare.
Admirabilis, ut ait Philoponus, imo aurea regula est, docens in media
quoq; figura conclusionem ex puris affirmantibus quandoq; recte con-
fici. Hic enim hujus regula scopus est. & hoc colligendum nobis Aristo-
teles reliquit, cum scripsit: necesse est medium & extremum majus re-
ciprocare, subaudi & ex consequenti syllogismum ex puris affirma-
tivis in Secunda bonum esse. Bonus igitur in media quoq; Figura Syl-
logismus ex puris affirmantibus est, quoties scil. medium & majus
extremum reciprocant, simpliciterq; converti Major potest, quia tunc
potestate est in prima &c. l. 3. part. com. c. 19

§. 27 An hæc consequentia ex Aristotele ritè fluat, alii viderint: mihi
vix sit verisimile. Sed posito, quod hæc sit mens Philosophi: hoc tamen,
si inter mediæ figuræ modos recipiendi sunt, probandum restat, illos
quæ Logicam considerationem, esse in culpatos. Cum enim vi consequētis
tantum

tantum, non vero consequentiæ, h e materialiter tantum, non forma-
liter concludant, omne punctum Logicum ferre indigni sunt. Nam quæ,
admodum forma dat esse rei Physicæ: sic & eadem dat esse rei Logicæ,
seu Syllogismo probo.

§. 28. sic & eodem recidit, quod *idem ibidem* sub finem capitis cit.
addit: eandem ob causam in prima quoq; figura ex vere negante
recte concludi quatenus talis syllogismus licet vctu in prima consti-
tuatur potestate tamen in secunda sit. Quicquid veritatis ex talibus
Argumentationibus provenit, id totum materiæ bonitati ascribendum
Ex Logica veritas vel falsitas materiæ frustra petitur, Logica quippe disci-
plina realis non est

§. 29. Nos itaq; tale Ens in potentia, pro uno vero Bono Log: antequam in
formam istam formam suam deposuerit, non habemus, cum & ipsæ Crellii
Soritem propterea vitiosum, captiosum, supervacuum eum & Sophisticis
Stoicis relinquendum argumentandi genus appellitare non vereatur, quod
non propter formam, sed propter materiam tantum inferendi vim ha-
bere videatur, lib. cit. e. 23. pag. m. 507. 508.

COROLLARIA

1. In Sorite illo, quem *ibidem* producit Crellius ad probandum, So-
ritem affirmativum quoq; ex premissis veris non semper verum concludere,
penultima enunciatio est falsa, & Proinde non mirum est falsam inde
sequi conclusionem Manet igitur Sorites argumentatio proba vide cl. Ar-
nizæum notis ad l. h. Scheib. op. Logici part. 4. c. 13 tit. 10.

2. Male concludit J. C. D. in Fapesmo pag Dial. 11 *Omnis homo est*
substantia, nullus lapis est homo E. nullui lapis est substantia. Namq;
hic Syllogismus, in hoc modo indirecto, concludere debet & particu-
lariter & conclusionem conversam hoc modo *Ergo aliqua vel quadam*
substantia non est lapis

3. Modis in directis absq; ullo veritatis & commodioris usus detrimen-
to bene carere possumus.

4. Quartæ quoq; figuræ, peculiari edito libello, merito incidis nervos
ingeniosissimus Comes zabarella.

Finis.

Königsberg. Diss., 1610/70


ULB Halle 3
004 398 270




f
Sb.

VD 17







TIO 1648 30

ns
ONES

cellaneas,

adjuvance,

Philosophicâ

ALBERTINA,

ubjiciunt

G A R P I V S

PRÆSES,

Lübecensis.

co, ad diem
s matut.

TI

Anno 1648.